

IOAN. FR. MIRANDV-
LÆ DOM. CONCORDIÆQ. COMI-
TIS, OPVS AVREVM DE AVRO TVM ÆSTI-
MANDO, TVM CONFICIENDO, TVM VTEN-
do, ad coniugem.

Liber primus.

CAPVT I.

AVRVM NON SEMPER A PRIMORDIIS SE-
culorum ipsiusque inuentionis initio sic æstimatum con-
sensu nationum, et res ceteras
metiretur.

AVRVM, quod olim tanti factum est, tantiq; nunc
passim fieri cernimus, quamnam ob causam tam
eximiam æstimationē sui mentibus humanis in-
seruerit, insertamque tenacius infixerit, mihi
sepe, coniunx, venit in mentem, vt exactius disputando co-
gnoscerem: hinc enim id videbam tanta cura, & tam superua-
canea quæri solere, vt merito priscis ab auctoribus latinæ lin-
guæ nomen traxisse diceretur ab auertendis mentibus homi-
num, tantoq; studio quæsitum custodiri, vt iure dederit ansam
Græcis plane suspicandi deductum nomen ἀπὸ τῆς ὀρέειν, quod
scilicet præ cæteris custodiretur, indeq; thesauri vocabulū ef-
ficeretur. Parte alia cum vtile fortassis aurum videri posset,
nullo vero modo necessarium suapte natura, sed sola morta-
lium conspiratione progrediebatur animus vltra percupidus,
videlicet habēdæ veritatis. Atque imprimis recordabatur sem-
per non fuisse præfectum aurum cæteris, non metallis modo,
sed alijs externis omnibus consensu nationum: nam vel ex-
pressa, vel tacita seculorum omnium conspiratio, vt alijs re-
bus, quæ dicuntur externa præponendum ipsum arbitraret,
mihi omnino non persuadebatur, nulla enim inter primor-
dia conditi hominis auri mentio, quin & literarum monu-
mentis antiquissimis relatum est, sine auro permulta secula
vitam homines agitasse: nec defuere, qui scripserint paulo an-
te Troiana tempora inuentum aurum ab Eaco: & argentum

ZZ 3

ab